







16
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.



1691.

1. Albinus, Bernardus: De pica.
2. Albinus, Bernardus: De servationibus.
3. Bartholdi, Fridericus Tacitus: De jure iustitiae.
4. Cocceji, Henricus: De suggestionibus earumque jure.
5. Cocceji, Henricus: De obligatione heredis ex testis defuncti.
6. ^{ant} Cocceji, Henricus: De postliminio et pace et amnestia. 2 exempl. 1691 et 1712.
7. Cocceji, Henricus: De fallacibus criminum iusticiis. 3 exempl. 1691 et 1716.
8. ^{ant} Cocceji, Henricus: De clausulis testamentorum. 2 exempl. 1691 et 1735.
9. Dienelhoff, Gothofredus: De potestate statuum imperii protestantium circa matrimonia subdi. Fortuna.

10. Schoepfferus, Johannes Franchinus : De atramento
11^{a. n^o} = Schultze, Petrus : De novo emergenti. 2 Exempl. 1691
12. Schultze, Petrus : De pluralitate futurum. 1743:
13. Schultze, Petrus : De beneficio invito nato.

1691

Dissertatio Medica

PICA,

et aetiosissima Facultatis Medicae

in Illustratione CADRINA
Sua Praesidio

DN BERNHARDI ALBINI

Magistri et Licentii in Potentissimi
Regni Saxoniae Praesidis et Regiae Consilarii
et Academici Praesidis et Professoris Publici
Medicinae

Patroni et Praesidis inibi STELLAE

in Saxonia A. D. K.

CHRISTIANI,

MDCCCLXXXVIII

Lina Constantiae Ziviter



1. *Handwritten text, possibly a title or entry*
2. *Handwritten text, possibly a title or entry*
3. *Handwritten text, possibly a title or entry*



1691, 5
4
61
8

DISSERTATIO JURIDICA
DE
OBLIGATIONE
NE HEREDIS

EX
DELICTIS DEFUNCTI,

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA,
SUB PRÆSIDIO

*VIRI Magnifici, Prænobilissimi, Consultissimi
atque Excellentissimi*

141
DN. HENRICI COCCEJI,
JCTI FAMIGERATISSIMI,

SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILL-
ARII, FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARII,

Suscipit

Ad Diem X. Julii An. O. R. M DC XCI.

ARNOLDUS à DUNGELLEN,
VESALIA-CLIVENSIS.

Demio recusa Anno 1701.

4

DISERTATIO JURIDICA
DE
OBLIGATIO
NE HEREDIS

EX
DELICTIS DELINCENTIS

Opera
DIVINA FAVENTE GRATIA
SUB PROMOTIO
VIRI MAGISTRI, THEOLOGICI, CONSISTORII
ET SACR. PALATII

DR. HENRICI COCCENII
KAI. PALMERATISSIMI

LECTORIS BRANDEBURGICI CONSILII
ARR. FACULTATIS JURIDICAE ORDINARI

ARNOLDUS & BUNCKEN
VRSALIA-CLIVENSIS

Denio tē. mē. Anno 1700.





SECTIO I.

De

Principio Obligationis heredis, ubi de rebus Patrimonii nostri agitur.

SUMMARIA.

1. **C**ommodatio Constitutionis, qua jura hominum ad heredes transeunt.
2. Horum jurium Complexum patrimonium dici, & contineri voce bonorum item Mei, Tui, vel Sui.
3. Hinc Principium obligationis heredis qui tenetur ad omnia,
4. Consensus Philosophi, qui intra terminos suos revocatur.
5. Accurata enumeratio rerum patrimonii cujusque, quæve vel in eo sint, vel etsi quis habeat, ultra patrimonium suum habere intelligatur.

I.

Purima perquam salubriter cum intergentes tum in primis à Romanorum Prudentibus inventa, quin & fictionibus adumbrata sunt, ut, cum hominem non possent, jura hominis mortis rationibus eximerent, eiq; defuncto personam heredis, quasi nulla morte interveniente, continuarent. Quo quidem ipso maximum industriæ vitæque suæ fructum homo capit, qui scit jura suis laboribus, industria, majorumque suorum aut amicorum beneficiis quæsitâ non iterum antiquæ occupatione morte vacuefieri, sed universa ad heredem suum

A z

suum

suum, quem veluti quandam sui imaginem præ cæteris dilexisse existimatur, in ipso novissimi spiritus momento, de manu in manum quasi devolvi.

II. Isthæc jurium omnium bonorumque nostrorum universitas, quæ à defuncto in heredem morte migrat, in XII. Tabb. **FAMILIA** dicitur. *L. 195. de V. S. tot. tit. ff. & C. Fam. ercisc.* aliàs **PATRIMONIUM**, ut in *l. i. Usufr. ear. rer. l. 15. §. 15. Excusat. l. 35. O. & A. l. 5. pr. de V. S. l. 72. l. de Legat. 2. l. 6. pr. & §. 2. que in fraud. Cred. l. 22. C. in fin. de Administr. tut. & apud Cic. 2. fam. ep. 2. & 16. Æmil. Prob. c. 25. §. 12. Justin. 3. bistor. 4. alias item in BONIS nostris esse *l. i. Usufr. ear. rer. junct. tit. us. & usufr. leg. & hic appellatione MEI, TUI vel SUI* continetur *l. 91. de V. S.* quanquam alibi vocis hujus angustior sit significatio *l. 9. rem. pup. salv.**

III. Cum igitur hoc duntaxat defuncti patrimonium, nec quicquam amplius morte ejus ad heredem pervenire debeat (non enim defunctus in heredem plus transmittere potuit, quam ipsius fuit, *l. 20. pr. acqu. rer. dom. l. 120. R. l. c. 79. de R. I. in 6.*) sequitur, quicquid ultra patrimonium defuncti in hereditate invenitur, id cumprimis inde separandum, & tantquam plus suo ex communi justitiæ natura (*pr. Instit. de J. & J.*) tribuendum esse ei, cujus id patrimonio abest. Ex quo solo omnis hæc quæstio heredisque obligatio ducitur; heres enim hoc unico & solo nomine obligatur, si quid ad eum ex hereditate pervenit, quod non fuit in patrimonio defuncti, id enim alterius patrimonio abest, eique restituendum est *d. pr.*

IV. Cum hac disciplina accuratè convenit illa Philosophi, si intra terminos suos, quos nimium ille moratur,

verat,

5
 verat, restituatur atque ad hanc quæstionem de patri-
 monii finibus regundis restringatur. Quicquid enim,
 ait, plus suo quis habet, id alteri abest, isque suo mi-
 nus habet, & ideo illi, quod plus est, aufertur, & addi-
 tur ei, cui minus est; quod officium proportio-
 nis Arithmeticæ. Hoc justum ille nuncupat τὸ ἴσον
equale, quemadmodum & Thucydides *lib. 4. Histor.* (ubi
 ait, καὶ ἢν ἀγα μὴ προχωρήσῃ ἴσον ἐκαστῶ nisi suum cuiusq; tribu-
 atur) injustum vero, in quo est τὸ κλείον & τὸ ἐλάττω,
plus & minus seu τὸ ἀνίσον inæquale. lib. 5. ad Nicom. c. 6.
 non hoc sensu, quò aliud patrimonium alio non pos-
 sit esse *maius vel minus*, sed quò in nullo possit
 esse plus minusve, quàm oportet; ut ipse explicat,
 atque hinc *justum seu equale* appellat *medium inter*
plus & minus τὸ πλείον & τὸ ἐλάττω τὸ ἴσον μέσον,
 & quidem τὸ ἴσον καὶ ἀναλογίαν, *medium proportionis;*
 planius Jcti *suum cuiusq;*, à quo si recedatur, & alter
 plus suo habeat, corrigendum, ut ille loquitur, illud
 est proportione Arithmetica, seu, ut melius JCon-
 sulti, restituendum ei cui ex patrimonio suo id abest.
l. 35. in pr. ff. de O. & A.

V. Tota igitur quæstio in eo vertitur, ut fines
 cuiusque patrimonii, seu Sui, id est, ejus, quod meum,
 tuum, vel inum cuiusque est, accuratè describantur,
 eoque quod in patrimonio est, à pœnis distingvatur.
 Hoc verò quod in extricata difficultatis est) ut cum
 ritè tum accommodatè ad quæstionem nostram fiat,
 constituemus duplex patrimonium, alterum defuncti,
 quod ad heredem transit, alterum alicujus tertii, v. gr.
 Caji & ostendem⁹, quænam ea sint, quæ, etsi defunctus
 habuerit, non tamen in patrimonio defuncti, sed Caji

6 *SECT. I. De Principio Obligationis Heredis, &c.*
fuerint. Dicimus igitur, non in defuncti, etſi forte ea
habuerit ac tenuerit, ſed in Caji patrimonio fuiſſe ſe-
quentia: (1.) Res, quarum Dominium aut jus reale Caji
fuit; quod patet. (2.) Omnia commoda, quæ ex rebus
Caji in hereditate inveniuntur ſine juſta cauſa. *l. 25. in
fin. ff. de Act. rer. amot.* Commoda enim naturaliter rem
ac patrimonium ejus ſeqvuntur unde procedunt. *l. 49.
§. 1. de R. V.* Nec intereſt, an fructus ipſi ex rebus Caji,
an æſtimatio ſive tantundem inveniatur apud defun-
ctum, modò, ut Jcti loqvuntur, inde factus ſit locuple-
tior. *l. 14. de Cond. ind. §. ſim.* (3.) Quicquid defunctus
ex contractu, vel quaſi, Cajo debuit vel ejus æſtimatio
l. 49. l. 143. V. §. hi enim modi ſunt, quibus naturali ratio-
ne jura commutantur, & ab uno transferuntur in ali-
um: unde quod ex his cauſis defunctus Cajo debuit,
non amplius æs defuncti fuit, ſed æs alienum, ſcil. Caji.
l. 213. §. 1. de V. S. l. 27. de Legat. 2. l. 2. §. 3. in fin. de Hered. Vend.
(4.) Huic omnino ſimile eſt quicquid ex ſententia Ju-
dicis defunctus debuit Cajo: ex ea enim non minus
quam ex contractu, jus commutatur & Cajo acquiri-
tur. *§. ſin. de Offic. jud. arg. l. 207. de R. I. &c.* Quin & (5.)
quantum per delictum vel quaſi delictum defuncti Ca-
jo ex ſuo patrimonio abeſt. Hoc enim cum Cajuſ ex
facto defuncti minus ſuo habeat, naturali ratione tan-
rum detrahitur patrimonio defuncti, ut integretur pa-
trimonium Caji *ib. 3.* Ea igitur damni quantitas eſt pa-
trimonio Caji eſt, non defuncti. Secùs verò erit, quo-
ties actio puniendi delicti vel quaſi delicti cauſa dun-
taxat conſtituta eſt; quod ſit, quoties vel ultra ſim-
plum datur, vel in ſimplum à Prætore in pœnam doli;
quod quale ſit, *ſect. ſeq. tradetur.*

SECT. II.



SECTIO II.
De Poenis.

SUMMARIA.

6. *Pœna Definitio.*

7. *Ejus duo requisita: ubi docetur, ea qua quis pœna nomine debet, adhuc esse in ipsius Patrimonio.*

8. *Hinc obligationem defuncti ad pœnam morte ejus extinguï.*

9. *Quod ultra simplum debetur ex delicto, semper pœnam esse.*

10. *Ipsam simplum regulariter pœnam non esse.*

11. *Esse tamen duobus casibus.*

12. *Quo sensu hoc simplum dicatur rei persecutio, etiam cum pœna est.*

13. *Id quod Pœne nomine debetur, non esse in bonis actoris, sed jus pœna exigenda esse; & quid intersit.*

14. *Hinc actiones pœnales hereditibus reddi non in heredes.*

15. *Excipi vindicta & criminum persecuciones.*

16. *Ne duplum, triplum, quadruplum quidem pœnam esse, si ex conventionem debeatur.*

17. *Neque quod ex contractu debetur, etsi in pœnam doli.*

18. *Quid de duplo, in quod lis aliquando in sciacione crescit.*

Videndum ergò jam è contrario, quid sit pœna actori debita, quæ non est in ipsius patrimonio *et. s. n. s.* Pœna est quam quis ob suum delictum & de suo debet. Vocem *Delecti* quâ latissimè pater accipimus, ut & quasi delicta & crimina comprehendat.

VII. Requiritur igitur 1. ad pœnam, ut ob delictum infirgatur, quia est delicti æstimatio, *l. 41. ff. de Pœn. nec puniri naturaliter potest, quia nihil deliquit, sed pœna esse debet ubi delictum seu meritum est. l. 22. C. eod. 22. c. 23. de R. 1. in 6. c. 1. caus. 24. quest. 3. Ezech. 18. vers. 4. & sequ.* quia ad hominum emendationem constituta est. *l. 20. de Pœn.* Requiritur 2. ut is, qui deliquit, de suo debeat, quia aliàs non ipse punitur qui deliquit, sed alius qui pœnam de suo solvit: pœna autem

tem

tem non est, nisi ubi delictum est *ib. præc.* unde quod defunctus Cajo pœnæ nomine debuit, non erat in patrimonio Caji sed defuncti, atque manifestè id Cajo è patrimonio suo non abesse traditur, *arg. l. 35. in pr. de O. & A.*

VIII. Hinc sequitur, quòd obligatio defuncti ad pœnam necessariò morte ejus desinat *l. 20. de Pœn.* quia non potest amplius pœna præstari ex defuncti, qui deliquit, patrimonio, quippe quod morte desit ipsius esse; sed jam heres de suo solveret pœnam, qui tamen non deliquit, contra *ib. 7. n. 2.*

IX. Hinc semper Pœna est, duplum, triplum, quadruplum, quod defunctus ex delicto ultra simplum rei Cajo ablatae debuit, quia de suo eam Cajo debuit, cum Caji patrimonium recepto simpli integrum fuerit. *ib.* Hic igitur nequaquam valet. Philosophia Aristotelis, cum hic non sit *πλείον ή έλαττον*, plus & minus, ac tamen defunctus Cajo debuerit: v. gr. si defunctus Caju 100. furto abstulit, ille quidem 100. plus suo, Caju 100. minus suo habet, & habet *ένυς τò άρισον*, cujus proinde simpli ratione admitti potest opera proportionis Arithmeticae, ut centum defuncto detractis, Cajo additis, *τò ίσον μέσον*, medium æquale reducatur. At cum præter id simplum defunctus quoque duplum vel quadruplum debuerit, id utique non debuit tanquam plus suo, nec propter *τò ίσον*, sed de suo in pœnam delicti.

X. Sed difficultas est de ipso simpli, quod ex delicto defunctus debuit, an pro pœna habendum sit? Equidem si res ipsa Cajo ablata apud defunctum invenitur, vel is inde locupletior est factus, constat id pœnam

nam non esse, quia id plus suo habet; *per tb. 5. n. 2.* sed quæstio est de casu, quo non est ex delicto locupletior factus, & tamen in simplum tenetur, an id pœna sit? Quod regulariter negatur, quia id Cajo non jure abest factio defuncti, quo is obligabatur ad restitutionem; Cajo ergo minus, defunctus plus suo habebat. Hoc igitur simplum non est defuncti pœna, sed in patrimonio Caji *per tb. 5. n. 5.*

XI. Atq; ex hoc ipso apparet, id aliquando secus, & hoc simplum sæpe tantum pœnam esse, scil. quoties actio in simplum jure tantum constituta est in pœnam doli vel delicti; tum enim non id agitur, ut hoc simplum illicò desinat esse in bonis rei, isque videatur plus suo habere, sed ut pœnam de suo debeat *tb. 7. n. 2.* ideoq; hoc quod ut pœnam debet, manet in bonis ipsius, & actor non propriè, quod sui patrimonii est, sed pœnam tantum exigit, inter quæ quid intersit vid. *tb. 13.*

Hoc autem accidit duobus casibus (I.) cum jure nulla obligatio ad reparationem damni constituta est; nam nihilominus prætor, si dolo factum est, ne is maneat impunitus, actionem dare solet ad puniendum dolum. Talis ergo prætoria actio, etsi in simplum tantum sit, tamen si in pœnam doli concepra est, simplum id pœna est. In quam rem clarissimi textus sunt in *l. 9. §. fin. de Reb. auct. jud.* ubi dicitur; *Si possessio- nis causa deterior facta esse dicitur dolo ejus, qui in possessionem missus sit, actio in eum ex dolo datur, qua neque post annum neque in heredes dabitur, cum ex delicto oriatur* Pœ- NÆq; nomine concipiatur; & tamen hæc actio est simpli persecutoria ut dicitur in *l. n. eod.* Idem in *l. 9. §. fin. Quod. fals. tut.* his verbis traditur. *Has in factum actio-*

nes (quæ rei persecutoriæ sunt *l. 7. pr. eod.*) in heredes non reddi Labeo scribit, quoniam & factum puniunt & in dolum concipiuntur. Unde simplum disertè POENA dicitur. *in l. 12. §. 1. si quis omisi. caus.* Hæ igitur actiones prætoricæ in numerato habendæ sunt, de quibus *ib. 20.* (II.) In omnibus quoque actionibus ex delicto mixtis simplum pro pœna est, quia, etsi rei persecutio sit, sequitur tamen rationem totius actionis, quæ suâ naturâ tendit ad puniendum delictum, quia ultra id, quod ablatum est, datur *arg. §. 9. Inst. Leg. Aquil.* Et constat utique legem, quæ actionem ex delicto in duplum, triplum, vel quadruplum constituit, eam puniendi delicti causâ constituisse, cum alias ultra simplum dari non possit. *ib. s. n. s.* Unde quadruplum, cui simplum inest, totum tamen POENA dicitur *in l. 16. §. fin. Quod. met. caus.* & hæ actiones mixtæ simpliciter in jure pœnales dicuntur, ut textus sunt expressi *in l. 23. §. 8. verb. cum sit pœnalis ff. ad L. Aquil. d. §. 9. verb. Pœnalem esse actionem. Inst. eod. l. III. §. 1. verb. quæ pœnales sunt ex maleficio, veluti damni injuria, vi bonorum raptorum. ff. de R. I. §. 1. perpet. & temp. act. ubi eadem verba. l. 2. §. fin. verb. quia pœnalis actio in eos non datur, ff. de Vi bon. rapt. l. 1. §. ult. verb. cum sit pœnalis ff. ne vis fiat ei &c.* quæ tamen omnes mixtæ sunt.

XII. Dicitur tamen hoc simplum quoque rei persecutio & pœnæ opponitur in §. 16. & seqq. de Action. l. 4. §. ult. de Alien. jud. mut. l. 7. §. 2. Quod fals. tut. &c. tum cōparatione dupli &c. quod non est rei persecutio, sed simpliciter pœna; tum quia simplum hoc à parre actoris retinet jus & effectum rei persecutionis; uti quod non concurrat cumulative cum aliâ rei persecu-

secutoria, sed eam consumat *l. 34. in pr. & §. fin. de Obl. & act. l. 47. §. 1. 48. l. 50. pro soc. cum pœna non consumatur l. ult. ne quis eum qui, &c.*

XIII. Cæterum quod diximus pœnam non esse in patrimonio actoris, ita intelligendum, ut non id quidem, quod pœnæ nomine debetur, jus tamen pœnam petendi, sit in bonis agentis *arg. l. 24. de V. S.* Inter quæ plurimum interest: qui enim pœnam tantum exigere potest, ille jus saltem temporarium habet, quod morte rei extinguitur *ib. 8.* Si autem res ipsa quæ apud reum est, in bonis actoris sit, reus plus suo habet, quod non tantum ab ipso, sed & herede ejus reperi potest, quia heres tantum acquirit patrimonium defuncti; à quo proinde quod defunctus ultra id & plus suo habuit, separandum est per *ib. 3. & 4.*

XIV. Hinc igitur est, quod pœnæ persecutio heredibus quidem actoris comperat, at non in heredes rei: *§. 1. perpet. & temp. act.* cum enim jus persequendi pœnam sit in bonis actoris, per *ib. preced.* transit cum iis ad heredes, ad quos totum patrimonium descendit per *ib. 2.* sed morte rei extinguitur per *ib. 8.*

XV. Excipitur vindicta, quâ injurias nobis illatas aut crimina persequimur: quia nullo modo est in bonis actoris, cum vindicta non sit res patrimonii, seu bonorum per *l. 2. §. 4. Collat. bon. l. pen. in fin. Sep. viol.* sed vel ad existimationem vel ad jus publicum vindicandæ malitiæ pertineat. Unde hæ actiones & accusationes ne heredibus quidem actoris dantur *d. §. 1. perpet. & temp. act.* Talis est actio in *l. 9. Relig.* & aliæ, de quibus *Dd. in d. §. 1.*

XVI. Hinc nunquam Pœna, quæ conventionalis

SECT. II. De Pœnis.

nalis dicitur, vera pœna est, uti triplum, quadruplum, quod ex conventionem seu evictionis nomine debetur: vel si quis pœnam quamcunque stipuletur per *thes.* 5. n. 3. l. 56. pr. & *passim de Evict.* l. 38. §. 17. de V. O. §. 18. Inutil. *stipul.* & c. Statim igitur atque commissa est lex vel stipulatio, quantitas in eam deducta incipit esse in bonis actoris *d. th.* 5. n. 3.

XVII. Sed nec pœna est, quod propter delictum vel dolum ex contractu debetur, eadem ratione *th.* 5. n. 3. ubi in contractibus b. fidei dolus vindicatur ex ipso contractu l. 7. §. 1. *depos.* l. 13. §. 4. *Act. empt.* l. 7. §. 3. *dol. mal.* & c. Hinc ubi in mandato dolus commissus est, cum actio mandati & doli concurrant l. 39. §. 1. *mand. junct.* l. 1. C. *eod.* si simplum peratur actione doli, erit pœna, per *th.* 11. si actione mandati, non erit. *th.* 5. n. 3. atq; ita idem simplum ex eodem facto negotioq; debitum & ut pœna, & ut res patrimonii nostri peti potest.

XVIII. At duplum illud, quod in quibusdam causis ex inficiatione debetur, §. *fin. que quasi ex contr.* §. 19. de *Action.* & *ibi Dd.* ratione simpli pœna non est, quoties ex contractu, v. gr. deposito miserabili debetur per *th.* 5. n. 3. l. 1. §. 1. *depos.* secus si ex delicto *d.* §. 19. *Act. d. th.* 11. sed ratione dupli semper pœna est, quia id ex facto sive delicto inficiationis ultra id, quod abest, peritur per *th.* 12. d. l. 1. §. 1. l. 18. *eod.*

SECTIO III.

De

Obligatione heredis ex delictis
civilibus defuncti.

SUM-

SUMMARIA.

- | | |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>19. Principium, unde dignoscitur, quanam Actiones Civiles ex delicto in heredes dantur, que non.</p> <p>20. Series Actionum que in heredibus non dantur.</p> <p>21. Series earum, quæ dantur etiam ex delicto.</p> | <p>22. Quid in illis mutatum sit Jure Canonico.</p> <p>23. Que sententia Juri Gentium conveniat, Jurant Civ. an Can.</p> <p>24. Quenam moribus recepta sit ubi variatio testantium de praxi. Nostris moribus Jus Civile obtinere.</p> |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

XIX.

EX his jam plenissime constitui potest principium omnium obligationum heredis: Heres scilicet obligatur ad omne id, quod in hereditate est, ultra patrimonium defuncti; nunquam verò ad pœnam à defuncto debitam per Sect. 2. In Hereditate autem esse dicitur, & si ea solvendo non sit, quia id Jus non mutat. *l. 119. V. S.*

XX. Hinc sequitur, non dari in Heredes i. Actiones mere pœnales ex delicto per *ib. §. 14.* quam certissimam esse juris Regulam traditur in *§. 1. perp. &* persequuntur ex delicto dolove per *ib. n. 1.* ubi est actio rerum amotarum *l. fin. C. rer. amot.* quam Prætoriam esse patet ex *L. 2. C. cod.* Et facile est arcem illam destruere adversæ sententiæ; quod 1. absolute dicitur dari in heredem *l. 6. §. 4. cod.* Nam & de actione dolli idem dicitur *l. 13. pr. Dolimal.* Et 2. quod regula, quæ tradit, actiones in heredes non dari, de pœnalibus concepta sit. Nam & falsum id est, cum idem de rei persecutoris ex delicto perinde dicatur, vid. *ib. 14.* & hæc quoque rei persecutio pœna quædam est & dicitur, ut patet ex *d. ib. n. §. 14.* Sed id magis movet, cur hæc

B 3

actio

actio rer. amot. semper comparetur conditioni furtivæ, ut in *l. 6. §. 4. l. 21. §. per. l. 26. eod.* Resp. Quia Actio rer. amot. ex furto Uxoris datur, non instar actionis furti (qua nullo modo heres tenetur) sed instar conditionis furtivæ: non verò quasi per omnia sint similes. Tales porro Actiones Prætoriæ sunt ex Edictis, de eo, per quem factum erit, quo minus &c. *l. 1. §. 6. d. tit. de Dolo malo l. 26. d. tit.* De Alienatione Judicii mutandi causâ facta *l. 4. §. ult. d. tit.* Si mensor falsum modum dixerit *l. 3. §. 5. d. tit.* Quod falso Tutore Auctore &c. *l. 9. §. 1. d. tit.* Ex Edicto, quod est in *l. 9. §. fin. Reb. aut. jud.* Item Interdictum, Ne vis fiat ei, &c. *l. 4. §. fin. d. tit.* Interdicta de vi *l. 1. §. fin. Vi arm.* Item quod vi aut clam *l. 15. §. 3. d. tit.* &c. 3. Non actiones ullas ex delicto mixtas sive Prætoriæ sint, sive Civiles per *th. 14. n. 2. §. 1. Perp. & Tempor. Act.* de quibus in *§. 18. Action.* ubi Dd. 4. Non Actiones, quæ inficiatione in duplum crescunt, ratione dupli *l. 1. §. 1. l. 18. depos.* Si verò ex delicto sint, ne quidem ratione simpli per *th. 18.* 5. Non Actiones populares *l. ult. Pop. act. l. 5. §. 5. Dej. & eff.* nihil enim abest è patrimonio actoris *th. 3. 4.*

XXI. E contrario sequitur, dari, præter actiones ex Contractu vel quasi, in heredes 1. Actiones Civiles ex Delictorei persecutorias per *th. 10.* quales sunt, Condictio Furtiva *l. 9. Conf. furt. eodemq; jure Condictio ob turpem causam, l. 5. inf. Calumn. per th. 10.* Talis ergo quoque foret Actio L. Aquil. si in simplum daretur. *§. 9. l. Aquil.* Idemque est in actionibus Prætoriiis, quibus ex delicto simplum petitur, si non sint conceptæ in pœnam doli: uti actio illa in factum, si quis infert mortuum in locum in quem jure non potest.

l. 7. in pr. de Reliq. Non obft. l. 2. §. 2. eod. 2. Omnes illas Actiones ex delicto, quas retulimus *tb. 20.* post litem contestatam l. 139. pr. l. 164. R. I. quia tum non amplius ex delicto, sed quasi ex contractu litis contestationis pœna deberi incipit, adeoque & in heredem datur. *per tb. s. n. 3.* idque indubiè usu obtinet. Carpov. 3. *Resp. 38. in fin. & 39. n. 13.* Atque hunc effectum placuit Imperatoribus etiam tribui nudæ judiciali conventioni, ut lite semel cœpta transeant pœnæ in heredes ac filis esset contestata. l. 33. de O. & A. Idemque est si per reum mora fit, quò minus conventio vel liris contestatio fiat l. 10. in fin. Si quis caut. uti iudicatum refert Berlich. 2. *Decif. 192. n. 7. & seq.* Hartm. Pistor. 1. *quest. 27.* Quod & Jure Saxonico constitutum est. Schulzen. *ad §. 1. f. perp. & temp.* 3. Easdem actiones ex delicto, quatenus ad heredes ex delicto pervenit, *per tb. s. n. 2. d. l. un. l. 38. R. J.* vid. *textus in tb. 20.* adductos. Contra heredes igitur hæ actiones degenerant in actiones in factum; quia heres non propter delictum tenetur, sed quia plus suo habet *tb. 3. & 4. l. 28. in fin. l. 29. Dol. mal.* Unde nec probatio delicti necessaria est, modò constet ad heredem aliquid ex re alterius pervenisse, l. 30. eod. Sed & inde est, quòd sufficit semel ad eum pervenisse, quia actio in factum semel nata durat: Quin & in heredis hujus heredem in solidum transit l. 17. *quod met. causa.* cum non sit ex delicto, nedum delicti pœna *per d. tb. s. n. 2.* Item, si species quæ ad heredem pervenit, casu perit, liberatur speciei interitu, nisi locupletior factus sit, ex regula communi l. 18. eod. l. 71. §. 1. V. O. quod secus est cum actio ex delicto in heredes in solidum datur, tum enim heres non magis libe-

liberatur rei interitu quàm defunctus. l. 7. §. f. *Condit. furt.* Illud notum est, ad heredem pervenisse videri, quod dolo fecit ne perveniret. 4. Actiones quibus dolo ex ipso contractu vindicatur, §. 1. *perpet. & temp. act. per th. 17.* Et 5. quibus pœna ex contractu peritur *per th. 16.* Nedum 6. quibus ad supplementum legitimæ agitur, quia non est ex injuria, uti querela inoffic. sed ex lege *th. 5. n. 5.*

XXII. Cæterum jure Can. mutatio quædam inducta est in iis actionibus ex delicto, quæ ne quidem ratione simpli in heredes dantur *th. 10.* statutumque ut heredes saltem teneantur ad damni restitutionem pro viribus hereditatis. c. ult. *sepult. c. 5. rapt. c. 3. pignor.* Et malè quidam respondent, *in d. c. 3.* ex contractu agi: cùm Ecclesia, quæ ibi agit, non contraxerit.

XXIII. Quæri igitur potest, num juris civilis an juris Canonici sententia juri gentium conveniat, ? Resp. utroque jure severius esse videtur jus gentium, quo semper is, cujus factio alteri damnum datum est, tenetur, si rem ipsam non potest, tantundem restituere: eoque jam plus suo habet, quod proinde heredes quoque reddere tenentur, *per th. 5. n. 5.* neq; ab hac ratione abscedere videntur, Grocius *7 B. & P. lib. 2. c. 17.* Thom. *2da 2da quest. 62. pass.* Sed prætor, uti alias mitigare rigorem juris gentium solet, in primis intuitu humanæ imbecillitatis, ceu ostenditur *in Collat. Jurid. coll. 2.* ita & hic in causis ex quibus nulla jure civili est obligatio, contentus est dolum punire, quæ pœna ad heredes non transit. *th. 7. th. 14. n. 1.* Canones autem non quidem in solidum heredibus injungunt damni reparationem, sed quatenus est in hereditate. *dict. loc. tenet*

XXIV. Moribus Galliaē servari Jus Canonicum testantur Joh. Fab. *S. pœnales, n. 7. Aët. Papon. de Arrest. l. 24. tit. u. arr. fin.* Et ita quoque judicasse quondam Curiam Mechliniensem refert Christian. *Vol. 2. dec. 22. n. 3. in fin.* Contrā moribus nostris heredes quoque in solidum ex his delictis perinde ac ex contractibus teneri, tradunt Groenvveg. *ad tit. C. ex del. def. n. 6. & 7.* Sim. Leeuv. *Cens. for. l. 3. c. 1.* nullo tamen allato præjudicio, sed inepta hac ratione, quod actionum nomina in libellis exprimi desierint, aliisque, tam imperite, ut tædium legenti movere queant. Cacheranus *decis. 152. n. 7.* in terris Imperii Jus Civile obtinere contendit, & ex eo id in Senatu Pedemontano decisum ait *d. l. in fin.* Tanta collisio & incertitudo est, ubi à jure receditur. Nostris moribus omnino Jus civile obrinet: nam non modo Jure Saxon, constitutum est, ut ne teneatur filius ex delicto patris, nisi quatenus ad eum pervenit: vid. Georg. Schultz. *ad tit. Instit. de Ferp. & tempor. Actionibus ad fin.* sed & præter Cacheranum *d. l.* id testantur Doctiff. Tulden. *ad tit. C. ex del. defunct. n. 8.* ac Brunn. *C. d. tit. n. 9.* & denique in tanta testimoniorum de praxi conflictu Juri Civili tutò infistitur.

SECTIO IV.

De

Obligatione heredis ex criminibus defuncti.

SUMMARIA.

25. Ex criminibus heredes non tenentur nisi ad panam. | 26. Esi lra contestata fuerit. | 27. Dua

27. Duae Objectiones solvuntur ; prior ex Deut. 5. v. 9.
28. Solvitur altera ex l. 5. C. Maj. & defenditur, infamiae & exilii pœnas in liberos status posse.
29. An defendi quoque possit publicatio propriorum bonorum, quin & supplicium liberorum, & quatenus?
30. Casus I. ubi ex criminibus heredes tenentur, scil. post sententiam.
31. Ostenditur heredem non teneri ex criminibus defuncti privati, etsi lite contestata decesserit.
32. Quid moribus obineat: ubi iterum Dd. variant. Responsum Præsidia in Belgio.
33. Solvuntur objectiones.
34. Quid si sententia appellatione suspensa fuerit? Dist.
35. Quid de expensis litis.
36. II. Casus.
37. Hinc III. deducitur, quando moribus nostris heredes teneantur ratione dupli, tripli, &c.
38. IV. Casus.
39. Alii casus singulares. Et de executione in cadavere & effigie.

XXV.

EX præmissis abundè constat, heredes non teneri ex crimine defuncti ad pœnam, siue crimen sit publicum, siue privatum & extraordinarium. l. 26. pœn. l. 22. C. eod. l. ult. ad l. Jul. Majest. t. t. C. si reus vel acc. l. un. infn. si quis jus dic. per tb. 8. Cui accedit, quòd hæc pœna ne quidem sit res patrimonii, sed vindicta, eaq; non privata, ex qua actori acquiritur, sed publica, ex qua fisco tb. 15.

XXVI. Quin nec tenentur heredes, etsi lis cum defuncto contestata fuerit d. l. ult. l. 2. l. 3. & 4. l. fin. C. si reus vel acc. l. 6. ff. de Publ. jud. quia litis contestatio in criminibus non potest pro quasi contractu haberi, eum nec possint privati contrahere de jure publico, seu de crimine, cujus vindicta & pœna ad rempublicam pertinet. l. 27. § 4. de Pact. & si possit, ex eo acquiri deberet pœna partibus contrahentibus, per l. 38. §. 17. de V. O. quod

quod non fit, sed acquiritur fisco vel iudici, qui non contraxit. Cum igitur non possit deberi ex quali contractu, sed maneat pœna criminis, heres teneri nequit per *ib. 8.*

XXVII. Nec movet, quod (1.) Deus minetur se puniurum parentes in sobole. *Deut. 5. v. 9.* Et (2.) perduellionis pœna in liberos quoque extendatur. *l. 5. C. Majest.* Resp. Non esse pœnam filiorum, quia ipsis non propter delictum suum infligitur: per *ib. 6.* non magis quam si alius homo, Deo disponente, morte præmatura eripitur, morbis affigitur, vel a prædonibus spoliatur. Hæc enim beneficia fortunæ sunt, quæ Deus suo jure ac libitu dare vel auferre potest: sed hæc calamitas filiorum pœna parentum est, qui non tam suo, quam innocentium liberorum malo, cui ipsi in primis delictis suis causam dederunt, anguntur. *ib. 6.*

XXVIII. Ita quoque, quantum ad *l. 5. C. Maj.* perduellium liberi extorres ac infames fieri ex aliis causis absq; ratione pœnæ, possunt, quia dignitates & jus domicilii sunt beneficia civitatis, quæ illa ex aliis quoque causis denegare potest, uti cum lex illegitimè aur à vili parente (nedum perduelle) natos excludit à præmiis ac dignitatibus publicis & à juribus domicilii. Hæc igitur calamitas liberorum iterum est pœna parentum: unde de Lepido in rempublicam armato ait Cic. *ad Brut. ep. 12.* *Si damnatus esset, eandem calamitatem subirent liberi, bonis publicatis: & ita Lepidum crudelem in liberos esse, non legem, quæ Lepidum damnat.*

XXIX. At qui potest extra rationem pœnæ videri, quod præterea isti liberi ex *d. l. 5.* bonis suis propriis exuuntur, & suppliciiis paternis digni existimantur, in

quibus metuuntur exempla paterni criminis; quin quod aliarum Gentium legibus actu supplicii mactantur, uti eam Macedonum legem refert Curt. l. 6. c. 11. & quod Pœni propter Hannonis perduellionem filios ipsius omnesq; cognatos occiderunt, ne quisquam aut ad scelus imitandum aut ad mortem ulciscendam ex tam nefaria domo superesset, ut ait Justin. *Hist.* 21. c. 4. Non enim utique civitas subditis suis vitam aut dominia jure Gentium quæ sita auferre potest, nisi in pœnam delicti, neq; ad id sufficit solus delicti metus. Est equidem præterea quoq; jus aliquod civitatis in vitam ac bona civium suorum, scil. quatenus necesse est ad defensionem communis patriæ, uti, quod tenerur, etiam cum discrimine vitæ, hostem propellere, & bona sua ad communem defensionem contribuere: quin & usitatum inter gentes fuit, quod pacis obtinendæ gratiâ primarij cives obsides hostibus dari potuerint cum potestate necandi, si pactis non staretur, vid. Alb. Gent. l. 2. *Jure belli cap. 19.* occurruntq; occisorum exempla passim. Sigon. *de Occid. Imper.* l. 18. p. 453. &c. Quanquam & Scipio generosè id more suo improbaverit apud Liv. *lib. 28. c. 34.* & Narses Justiniani Dux, & hostium perfidiâ, & suorum adhortationibus licet accensus, non tamen ad obsidum Lucensium eadem perPELLI potuerit, Agath. *lib. 1. Hist.* Sanè ob solam delicti futuri suspensionem metumq; in innoxios supplicijs grassari, non videtur alia ratione defendi posse, quàm quia id, quod ex iniquo habet, securitate publica pensatur. Ita quidem Cicero in eos, qui Diis eam vim tribuunt, ut, si quis morte sceleris pœnas effugerit, experantur ea pœnæ à liberis, à nepotibus, à posteris, ita invehitur.

O mi-
7117

ram equitatem Deorum! ferret ne ulla Civitas latorem ipsius-
modi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si Pater aut A-
vus deliquisset? Eoq; adducit autoritates Poetarum &
Stoicorum, lib. 5. de Natura Deorum in fin. Idem tamen
in prædicto exemplo Lepidi, quem perduellem judi-
cabat, ait: Parentem scelera filiorum pœnis sui acerbum qui-
dem; at id præclarè legibus comparatum esse, ut caritas libe-
rorum amiciores parentes reip. redderet. Ad Brut. Ep. 12. Id-
que facilius admitti potest in sanctione d. l. 5. quæ pu-
blicatione bonorum contenta, liberos non afficit sup-
pliciis, sed affici dignos tantum judicat. Pœnorum
verò Macedonumq; exempla modum omnino justitiæ
excedunt; nec ullo modo inter exempla referri de-
bent parricidia Antonini Bassiani, quibus in fratrem
ac collegam ejusque amicos omnes sæviit; apud He-
rodian. l. 4. c. 11. non enim id ulla juris species fuit, sed
plus quam belluina immanitas. Nec minus impia vox
Demetrii, qui occiso per insidias Alexandro Cassandri
filio, causatus est apud exercitum; Scelerum ultionem,
quia nequisset ab ipso Cassandro exigere, ad liberos ejus trans-
tulisse. Just. l. 16. c. 1.

XXX. Transeamus nunc ad modos, quibus he-
res ex criminibus quoque defuncti obligatur. Hi
sunt I. si defunctus ex crimine publico vel privato ad
pœnam pecuniariam, v. gr. publicationem bonorum,
sententiâ damnatus fuerit; quia tunc illa non ex cri-
mine, sed ex sententia judicis debetur: ex quo desit
esse in bonis defuncti & heres plus suo habet. per th. 5.
n. 4. idq; deciditur in l. 20. accus. l. pen. C. si reus vel acc.
arg. l. 20. pr. de jure Eisc.

XXXI. Nec dubium est de criminibus publi-

cis, de quibus *dd. ll.* exerte loquuntur. Sed ex crimine privato seu extraordinario heredem teneri ad pœnam pecuniariam quidam putant, etsi reus pendente lite & ante sententiam discesserit. Hi vero 1. refelluntur ipsâ pœnarum naturâ & ex principio, quo tota hæc quaestio nititur. *vid. tb. 3. tb. 8. tb. 26.* 2. *Ex l. 6. publ. jud.* ubi defunctus jam factus fuit criminis reus, & tamen dicitur pœna extincta in quacunq; causa criminis. 3. *Ex l. 15. §. 3. Ad SC. Turp. l. 3. l. ult. C. si reus vel accus.* in quibus omnibus cœpta jam lis fuit, & tamen crimen quaecunq; morte rei extinctum traditur nisi post sententiam sit mortuus: *Fac. l. 4. l. 29. pr. de Jure Fisci.*

XXXII. Atque hæc sententia moribus nostris magis convenit. *Gomez. Tom. 3. Resol. 1. num. 82. Christin. Vol. 3. dec. 22. n. 2. & vol. 4. dec. 195. n. 10. Carpz. 3. Resp. 38. n. 18.* qui ita decisum referunt. Alii verò aliter judicatum testantur, funestissimo prorsus jurisprudentiæ nostræ jactandi praxin more, uti *Cacheran. Decis. Pedem. 149. in fin. Grivell. Decis. Dol. 6. n. 10. & seq.* quem sequitur *Tulden. in C. ex del. def. n. 6. Marc. Decis. Delphin. dec. 759.* qui ex doctrina Baldi statunt, reo post litem contestatam, etsi ante sententiam mortuo, heredem ad pœnam teneri, modo reus (quod tamen alii inter eos non admittunt) confessus vel conclusum in causa fuerit; quasi id æquipolleat sententiæ: quo fictitio commento (quod bene refutat *Carpz. d. l.*) tota hujus juris ratio connexiove solvitur. Mævius distingvi vult inter pœnas confiscationis & alias pecuniarias, non verò inter publica & privata crimina, & in id quoque judicatum adducit, *Part. 5. Decis. 393.* In hoc conflictu fori anno superiore juxta *Christinæ & Carpz.*

Carpzovii praxin, ceu Juri communi & rationi conformem respondimus.

XXXIII. Nec quicquam movet quod *d. l. 20. Accus.* hoc jus, criminum pœnas post sententiam in heredes transire, restringat ad judicia publica. Nam Jctus ibi de ordinariis tantum judiciis agit, sc. de criminibus publicis & delictis privatis, uti ex voce *delictis* apparet; de extraordinariis verò nihil statuit; quod & alias fieri solet. Nec obscurum est *l. un. C. del. def.* de privatis agere. Minus obstat *l. 22. ad Silan.* Nam ea non huc pertinet, sed ad *sect. ult. ib. 50.*

XXXIV. Sed, si sententia appellatione suspensa sit, an reo mortuo heres adhuc teneatur? Resp. Si in sententia quoque in specie expressa est pœna pecuniaria, v. g. publicatio bonorum, non obstante appellatione, pœna quoque in heredem competit, tenerurque heres appellationi respondere, *l. 3. si pend. appell. l. ult. C. si reus vel acc. l. 9. jur. fisc.* cœpit enim jam ex sententia deberi, *ib. 5. n. 4.* quæ suspensa tantum est, non sublata: nam postea confirmata retro valet. At si publicatio bonorum non est in sententia expressa, sed alia pœna corporalis, cui cohæret publicatio, uti olim ultimis supplicis *l. 7. §. fin. Qui test. fac.* heres, sententiâ per appellationem suspensâ, non amplius mortuo reo tenetur, *l. 3. C. si app. pend.* quia hæc publicatio est accessio pœnæ corporalis, quæ omnino morte extingvitur *l. 20. pœn. l. ult. Maj.* Quid singulare sit in crim. Maj. v. *ib. 30.*

XXXV. Idemque est, si in causa criminali expensæ litis aliæq; damna adjudicata fuerint: nam, si eâ per appellationem suspensâ reus moritur, crimine extincto durat tamen in heredem causa expensarum.

l. 6. publ. jud. l. 78. §. 2. leg. 2. Anton. Fab. *C. ex del. def. Def. 1.* ubi idem statuit, (quod & multo magis obtinet) si appellatio deserta fuerit *d. ut. def. 2.*

XXXVI. (II.) Alter modus, quo ex crimine defuncti heres tenetur, est, si Reus sibi mortem consciverit conscientia criminis, si crimen sit, quod publicationem bonorum continet; nam & heres tenetur, ad publicationem bonorum, perinde ac si defunctus damnatus esset. *l. pen. C. si Reus vel Acc.* quod confirmatur *Ord. Crim. art. 135.* tum quia sua conscientia videtur fuisse condemnatus, tum ne in potestate rei sit, suo ~~autore~~ crimine, fisco hoc jus intervertere,

XXXVII. Eadem ratione, qua heres tenetur, ex crimine defuncti post sententiam per *ib. 30.* hodie moribus nostris tenetur etiam ex delictis civilibus defuncti, quæ in duplum, triplum, quadruplum puniuntur non nisi post sententiam. Cum enim hæ pœnæ dupli &c. omnesq; pœnæ privatæ, exceptâ actione injuriarum civili, hodie ferè sint sublatae *Gudel. de Jure Novo lib. 3. c. 14. §. sed observandum.* Bugnon. *de LL. Abrog. l. 1. c. 206.* & earum loco à judice arbitraria multa dictari possit, quæ fisco acquiritur, hinc actiones, quæ simpliciter excedunt, hodie criminalibus comparantur, adeoque non post litis contestationem, sed post sententiam demum in heredes dantur per *ib. 30. & seqq.* idque ita obtinere, testantur *Ann. Rob. Rer. Jud. lib. 1. c. 10. pag. 152.* *Perez. ex Del. def. in fin. Christin. vol. 3. dec. 22. n. 2.* *Carpz. 3. Resp. 38. n. 18. seq. & Resp. 39. n. 1.*

XXXVIII. (III.) Ex crimine defuncti tenetur heres ratione ejus, quod ex crimine ad eum pervenit: per *l. 12. ad L. Corn. Fals. l. 5. pr. Calumn.* id enim pœna non est *ib. 5. n. 2.*

XXXIX.

XXXIX. (IV.) Singularissimum est, quod ex quibusdam criminibus, etiam publicis, heres ratione pecuniæ seu bonorum tenetur, et si ne lis quidem contestata sit, sc. in Criminibus (1.) Majestatis, etiam divinæ seu hæreseos &c. odio criminis *l. 20. accus. l. ult. ad L. Jul. Maj. l. 4. §. 4. C. Heret.* in quo non id solum singulare est, quod publicatio bonorum semper post mortem ejus fieri adhuc possit; sed &, quod memoria post mortem damnari, *d. l. ult.* quin & pœnæ capitalis executio, vel in cadavere vel in effigie, ex ratione juris quoque communis fieri, &c. (2.) Reperundarum *d. l. 20. l. 2. ad L. Jul. repet.* (3.) Peculatus *l. fin. ad L. Jul. pecul.* (4.) De residuis *d. l. fin.* principaliter enim hæc tria judicia ratione pecuniæ constituta sunt. *d. l. fin.*

SECTIO V.

De

Obligatione heredis ex delictis defuncti circa actiones in rem.

SUMMARIÆ.

- | | |
|----------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------|
| 40. Actiones in rem nec lite contestata in heredes dari. | datur, qui dolo defuncti possidere, heredem non teneri. |
| 41. Si quid lite pendente commissum est, ex eo teneri heredes. | 43. Nisi lis contestata cum defuncto fuerit. |
| 42. Ex actione, qua contra eum. | 44. Nunquam tamen ratione ipsius rei. |

XL.

EX dominio & juribus in re actiones non nisi adversus possessores dari constar: unde nec in heredes competunt, nisi possideant. *l. 42. R. V. l. 14. de Publ. & vectig.* adeo, ut nec lite cœpta aut contestatâ, actio

26 SECT. V. De Oblig. Hered. ex delict. defuncti
actio in rem in heredes, qui non possident, transeat :
d. l. 42. tum quia ex ea litis contest. quæ quasi contra-
ctus est, actio tantum personalis in heredes, non realis
daretur, quæ quasi ex contractu non nascitur : tum
quia tempore sententiæ quoque dammandus possidere
debet, *l. 27. §. 1. R. V.* Heres ergo, si non possidet da-
mnari nequit.

XLI. At si quid post litem contest. facto partis
committitur, ex hoc facto obligatio tantum personalis
producitur, quæ proinde ex hoc quasi contractu nasci
ac in heredes transire potest *d. l. 42.* Nec opus ad id est
alia in factum actione, quia in actionibus realibus, quæ
arbitrariæ sunt, omnia quæ post litem contest. acci-
dunt, officio iudicis continentur, ut ex æquo & bono
de iis arbitretur. *§. 31. Action. arg. l. 25. §. 8. de Edil. edict.*

XLII. Cum verò pro possessore etiam habeat-
tur, qui dolo desit possidere, *l. 131. R. I.* utilis hinc actio
datur adversus eum, qui dolo fecit, ac si possideret. De
qua queritur, an & heres, qui non possidet, eâ teneatur ?
Quod jam decisu facile est : si enim ante lit. contest. do-
lo possidere desit, heres non tenetur, nisi quatenus ad
eum pervenit. *l. 52. R. V.* quia hæc civilis actio datur ex
delicto, & in poenam doli constitutum est, ut pro pos-
sessore esset, qui dolo desit possidere. *ib. 11. n. 1.*

XLIII. At si post lit. contest. dolo possidere de-
sit, heres ex eo tenetur in solidum, *d. l. 42. R. V.* (in
cujus specie jam actum cum defuncto possessore fue-
rat) quia convenitur quasi ex contractu lit. contest.
per ib. §. n. 3. Idem est in superiore specie, si possessor
ante lit. contest. quidem desit dolo possidere, sed post
litis contestationem demum decesit *l. 27. §. 3. eod. cœ-*
pit enim debere quasi ex contractu per ib. §. n. 3.

XLIV.

XLIV. Nullo igitur horum casuum heres ratione ipsius rei vel convenitur vel damnatur per *tb. 40.* sed tantum ratione ejus, quod defunctus, *d. l. 42.* vel ipse quoque heres culpa vel dolo commisit *l. 51. eod. arg. l. 2. in fin. Stip. Prat.*

SECTIO VI.

De

Obligatione heredis ex commissio mercium defuncti, vel eo quod tantquam indigno auferri debuit.

SUMMARIA.

- | | |
|--------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 45. <i>Commissi vox unde remissive.</i> | <i>quod defuncto tanquam indigno auferri potuit.</i> |
| 46. <i>Quid jus commissi in Vestigalibus.</i> | |
| 47. <i>Heredes ex commissio defuncti teneri, si possideant.</i> | 51. <i>At ex commissio feudo & Emphyteusi heredes non teneri, nisi cum defuncto lis capta fuerit.</i> |
| 48. <i>Alia contra eos remedia dari, etsi non possideant.</i> | 52. <i>Excipitur casus, quo feudum sine consensu Domini alienatur.</i> |
| 49. <i>Rejicitur sententia eorum, qui hic litis contestationem desiderant.</i> | 53. <i>Rejicitur distinctio, an sententia declaratoria sequi debeat.</i> |
| 50. <i>Heredes quoque teneri ex eo,</i> | |

XLV.

Commissi vox, qua ratione a similitudine pugnæ (quæ committi dicitur, cum incipit,) ducta; & quibus negotiis in jure applicata; cur item lex, stipulatio, pœna, conditio; non verò emptio locatio &c. cur denique edictum contra tabb. non verò edictum

D 2

edictum secundum tabb. committi dicatur, late & diligenter Dn. Lubertus Erevvinus Iconius ex mente Præsidis exposuit in Disputatione sua Inaugurali Anno 1686. Heidelbergæ habita.

XLVI. Frequens autem ejus usus est in vectigalibus: in qua materia jus commissi intelligitur jus, quod alicui acquiritur ex violata prætereuntibus lege vectigali.

XLVII. Quaritur ergo, si defunctus commisit legem Vectigalis vel fraudando vectigal, vel prætervehendo merces, prohibitas, vulgò *contrabando* &c. an ex eo heres quoq; teneatur? Resp. Viderur quidem non teneri heres, cum pœna sit, & merces in bonis defuncti fuerint, qui proinde eam pœnam de suo, non heres, debet *ib. 11.* Verùm cum ipsæ merces commissæ ex Lege acquirantur fisco, vel etiam Vectigali, hoc ipso desinant esse in bonis rei, à quo proinde, si possidet, fiscus, cui ipso jure quæsitum est earum dominium, uti à quovis possessore, vindicare eas potest, per *ib. s. n. 1. l. 14. de Public. & Vectig.*

XLVIII. Dantur tamen ex hac causa alia quoq; remedia, quibus heres quoque conveniri potest, etsi non possideat, uti condictio furtiva, vel judicium pecularis: cum ergo ipso jure dominiam mercium quæsitum sit rei vectigali, furtum utique, quin peculatum committit, qui eam clam Domino secum aufert: quod utrumque judicium ad heredes quoque extenditur, *ib. 21. & 39.* Atque hinc esse videtur, quod ipsum crimen vectigalis ad heredes transmitti dicitur in *l. 8. pr. l. 11 §. 3. Public. & Vectig.* Nec adversatur *l. ult. §. pen. eod.* quæ loquitur de pœnalibus actionibus, eodem edicto

edicto à Prætorè conceptis: uti in *l. 1. pr. l. 12. §. 1. eod.* non verò de Jure Commisſi, quo fifeus actione reali rem ſuam non pœnam perſequitur *d. l. 14. eod.* vel de actionibus, quæ Jure communi in heredes dantur.

XLIX. Atque ita ante aliquot annos, cùm navis multis mercibus onuſta, vectigal Electorale Palatinum Rheni fraudâſſet ac diu latuiſſet, fraudatore interim mortuo, in ſupremo Regininis Electoralis Conſilio, adverſus heredes decreta eſt commisſi perſecutio. Et ſanè, cùm actio ex commiſſo contra poſſeſſores detur *d. l. 14.* qui, rebus evictis, actionem contra fraudatorem ejuſq; heredes ex evictione habituri eſſent, æquitati & Juri Gent. (cujus in publico vectigalium jure cum peregrinis maximè ratio habetur) conveniens eſt, ut, ſi poſſeſſores neſciantur, heredes à fifeo conveniri poſſint.

L. His Vectigalium commisſis vicina ſunt, quæ indignis à fifeo auferuntur, nam ea quoque ſtatim & facto ipſo fifeus acquirat. *per l. 9. in ſin. verb. Statim fifeo deferetur. l. 21. §. paſſ. His que ut ind.* Unde, mortuo indigno, fifeus res ſibi quaſitas, ab heredibus quoque, qui eas tenent, vindicare poteſt: quod & traditur *in l. 22. ad Scitum Silan. l. 9. de Jure Fiſc.* Quod proinde ſecus eſt, ſi non ipſo jure res commiſſa ſit, ſed per ſententiam demum auferenda. *l. 29. §. 1. eod.*

LI. Cui quidem conſequens eſſe videtur, etſi actio perſonalis ad revocandum ex feloniam feudum, vel ex culpa Emphyteuſin, adverſus heredes non tranſeat, cùm pœnalis ſit & inſtar injuriarum actionis, *arg. l. 7. C. de Revoc. donat.* tamen quibus caſibus ipſo Jure Feudum vel Emphyteuſis committitur, actiones quoque

30 SECT. VI. De Oblig. Heredis ex delicto def. &c.
in heredes & possessores dari. Verum id secus est,
quia Dominus his actionibus privatam suam vindi-
ctam atque injuriam persequitur (non, ut fiscus in su-
perioribus causis, publicam) atque ideo hæc persecu-
tio omnino similis est actioni injuriarum, quæ nec he-
redi datur nec in heredes. *ib. 15.* Nisi Dominus inju-
riam vivo delinquente ad animum revocaverit *l. 7. §.*
ult. in fin. C. de Revoc. donat.


LII. Etsi igitur feudum ipso jure committatur,
huic tamen commisso tacite inest conditio, si Dominus
jure suo utatur, atque conquestus de injuria fuerit.
Quo facto commissum ipso jure Feudum, etiam mor-
tuo delinquente, à quovis possessore vindicari potest;
quod non potest, si Dominus siluerit. *dd. l. Quod &*
communius receptum est. Hartm. Pistor. l. 1. qu. 35. n. 9.
Rosenthal. c. 10. concl. 40. per tot. & ibi cit.

LIII. Sanè alienatione feudi sine consensu Do-
mini facta, hunc revocare feudum, etiam mortuo alie-
nante, à quovis possessore posse indubium videtur;
quia hujus felonie effectus perpetuo durat; cum pos-
sessor Vasallus non sit, & tamen feudum teneat. Po-
test ergo utique Dominus feudum suum semper vindi-
care ab eo qui non jure id tenet. *Rosenth. c. 9. concl. 2.*
Nihil verò ad rem facit distinctio *Hartm. Pistor. Ro-*
senth. J. Clari &c. an sententiâ declaratoriâ opus sit an
non? Nam ea jus non facit, sed, quod est, declarat; &
semper equidem necessaria est ubi possessor contradi-
cit, etiam in specie alienationis sine consensu Domi-
ni factæ, ut bene statuit Coppen. lib. 2.

Observ. 37. n. 6.

DEO SIT GLORIA.





ULB Halle
002 725 959

3




TA → OL

NO 18
NO 17







1691, 5
4
6
RTATIO JURIDICA
DE

IGATIO- HEREDIS

EX
TIS DEFUNCTI,

Quam
FAVENTE GRATIA,
B PRÆSIDIO

*offici, Pranobilissimi, Consultissimi
etque Excellentissimi*

TRICI COCCEJI,
MIGERATISSIMI,

ATQUE POTENTISSIMI
ANDENBURGICI CONSILII
TIS JURIDICÆ ORDINARIJ,

Suscipit
Julii An. O. R. M DC XCI.

S à DUNGELN,
LIA-CLIVENSI.

recusa Anno 1701.

4